

42. L. I. S. 36. pro petio oblate.

25

DISSE^RTAT^IO INAUGURALIS
DE
NULLITATE
VENDITIONIS SUB
HASTA ABSQVE PRÆ-
SENTE PECUNIA FACTÆ

QVAM

*INDVLTV MAGNIFICI JCTORVM
ORDINIS*

HORIS LOCOQVE CONSVETO

DIE V. MAJI ANNI M DCC XXI.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES AC
PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQVENDI

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBMITTIT

BENJAMIN DE BARCKHAUS

s. jur. civ.

MOENO-FRANCOFURT.

196

ERFORDIÆ,
Typis JOH. HENRICI GROSCHII, Acad. Typogr.

DIGRIPAT CITA IN ALIA

DE

ДЕЛАНИЯ

СВЯТОГО АЛЕКСАНДРА НЕВСКОГО

СЛУЖБА АЛЕКСАНДР

СЛОВА АЛЕКСАНДР

СЛУЖБА АЛЕКСАНДР



L N J.

CONSPECTUS TOTIUS DISSERTATIONIS.

Scopus dissertationis §. I. Ejusdem ordo §. II. Tres juris. dictionis partes essentiales §. III. & IV. Quarum nobilissima est executio §. V. Ejus multiplex utilitas §. VI. Et creditoris favor §. VII. VIII. & IX. in primo executionis actu §. X. de cuius forma effectu & modo §. XI. & XII. in secundo executionis actu seu subhastatione §. XIII. cui inest tacita in diem additio §. XIV. si posterior emtor sub hasta plus licetans, ex post facto inidoneus reperiatur prior nibilominus emtioni semel contractae stare teneatur? §. XV. An venditio subasta absque praesente pecunia facta valida sit? §. XVI. Quodnam remedium creditori ejusmodi in casu suppeditatur? §. XVII. Subhastationibus fiscalibus seu judicia libus legem commissoriam tacitam etiam inesse §. XVIII. Finis dissertationis. §. XIX.

A 2

§. I.

§. I.



Ircumspicienti mihi dignam disquisitione publica materiam in mentem venit, quod subinde in foro de venditione sub hasta sine præsenti pecunia facta disceptetur, cuius disceptionis momenta resumere, & in præsenti differentiatione inaugurali, pro ingenii modulo, breviter examinare operæ pretium duxi.

§. II.

Ut autem aliqua ordinis ratio habeatur, præmittam pauca quædam tum de executione in genere, tum de hujus primo actu, qui judicialis pignoris capio audit, dehinc ad ipsam subhastationem, velut alterum ejusdem actum, progressurus.

§. III.

Scilicet tres sunt jurisdictionis partes essentiales, causæ cognitio, sententiæ pronunciatio, & ejus executio. Quibus, etsi a quibusdam duæ aliæ partes, citatio videlicet, & litis contestatio jungantur, hæc tamen additio mihi abundans & frustranea prorsus videtur, cum litis contestatio indubia causæ cognitionis pars sit, neque hæc sine partium litigantium citatione expediri queat, proindeque causæ cognitioni necessario insit, cum ei, cui concessa jurisdiction, omnia ea

ea permissa censeantur, sine quibus ea exerceri nequit, per l. 2. ff. *de jurisdictione.*

§. IV.

Unde sequitur, ut si cui vel per infeudationem, vel per privilegium, & quæ huic æquipollet, immemorialem præscriptionem, quæsita sit jurisdiction, omnibus dictis tribus partibus jurisdictionis substantialibus gaudere debeat, donec ab adversario restriktio vel exceptio probetur; Ex adverso autem qui unica dictarum trium partium essentialium destituitur, de vera jurisdictione sibi gratulari nequeat. Exemplo sit nobis Judex Romanorum pedaneus, cui in jure nostro notio, non etiam jurisdiction, tribuitur, propterea, quod & exequendi & sententiæ ex proprio arbitrio pronunciandæ facultate in judiciis stricti juris imprimis careret; Quin eadem de causa nec collegiis Academicarum juridicis, quæ vulgo facultates dicuntur, jurisdiction propriæ tribui potest; quamquam enim hæc sententiæ conceptione gaudeant, adeo quidem ut judici requirenti, in causis civilibus præsertim, ab ea recedere non liceat; nihilominus tamen causæ cognitione non minus, quam executione destituuntur.

§. V.

Quemadmodum autem causa frustra cognoscitur & sententia fertur, nisi hæc executioni strenue mandetur, ita ex hoc oppido patet, prædictarum essentialium jurisdictionis partium nobilissimam esse, quæ

A 3

exe-

executio dicitur , utpote quâ & legibus & ipsis magistratibus sua autoritas conciliatur , tum vero actori etiam quod ipsi debetur , & post innumera sumtuum & temporis dispendia per sententiam victricem adjudicatum tribuitur , qui adeo præcipius executio-
nis finis esse debet , eoque Reformatio Francofurtana collineat , ubi parte I. tit. 45. §. 1. expresse disponitur : *Soll nach Verfleßung zehn Tagen , auf Anruffung des obliegenden Theils zu der Execution und Vollstreckung derselben Urtheil geschritten , und die würcklich vollzogen werden , dieweil vergeblich wäre lange zu rechten und endlich Urtheil zu erhalten , wenn dieselbe nicht auch würcklich solten vollzogen werden.*

§. VI.

Ex quo colligitur , in processu executionis maiorrem esse creditoris quam debitoris favorem , & merito quidem ille enim certat de damno vitando , hic de lucro captando ; ille suum repetit , hic alienum tenet . Accedit quod executionis rigor ad disciplinam publicam plurimum faciat , quo scilicet homines a teneris annis excitentur , ut se ad victum amictumque sufficientem acquirendum habiles reddant , neque adeo opus habeant , de alieno vivere , aut sub mutui specie viros probos & honestos pecunia , multo labore & parsimonia utplurimum quæsita , emungere . Sed & homines luxuriosos & prodigos ad animi continentiam & vitæ frugalitatem per strenuat rerum judicatarum executionem revocari in aperto est .

§. VII.

S. VII.

Quam multiplicem utilitatem & veram morum censuram , quam rigorosa justitiæ adversus debitores administratio post se trahit , veteres Romani considerantes , per duodecim tabularum leges sanxerunt , ut debitor , sua culpa æri alieno solvendo impar existens , in partes separetur , indeque creditoribus satisficeret , narrante Gellio *Lib. 20. Noct. Attic. cap. 1.* Qui exequendi modus et si pâulo durior videatur , propterea tamen eam iniquitatis arguere nolim . Præterquam enim quod iste rigor multiplici utilitate publica , cuius maximus favor est , largiter pensetur ; debitor fraudulentus & conflatilæ æris alieni exsolutionem parum curæ habens , haud dissimilis videtur furi , prædonique , qui non alia de causa pœnis capitalibus subjiciuntur , quam quo disciplinæ publicæ sua ratio constet , & ab hominibus frugi rei familiaris imminutio avertatur . Quin ejusmodi debitores aliquando furibus & prædonibus peiores esse dixerim cum nimirum creditores absque reddendi animo falsis persuasionibus ad pecuniam mutuo dandam inducunt , aut sua culpa saltem creditores fallunt , qui misericordiæ ducti opem suam eis accommodarunt .

S. VIII.

Quanquam autem ipso Aulo Gellio *cit. loc.* referente , prædicta disfectionis pœna apud veteres Romanos parum in usu fuerit ; recte tamen iidem hi existima-

stimarunt , publicæ disciplinæ rationem consistere non posse , nisi debitorum malitia sufficientibus aliis remediis coerceretur , & creditoribus , quantum fieri posset , satisficeret . Qua de causa apud eosdem narrante Gellio *cit. loc.* jus invaluit , ut debitor solvendo non existens creditori suo post mensem à tempore rei judicatæ in servitutem addiceretur ; à qua uti debitores fortunæ injuria bonis lapsos facile exemptos fuisse credo ; ita & Serenissimus Ernestus Saxonæ Dux ob singularem probitatem & virtutem sanctimoniam dudum Pii nomen apud posteros adeptus , idem Romanorum institutum secutus est , dum in ordinatione processus Saxo - Gothana *Part. I. cap. 20.* sanxit , ut debitores , qui vel dolo suo vel culpa tantum , creditores suos defraudarent , eidem addictioni in servitutem subjecerentur , quemadmodum etiamnum hic exequendi modus in terris Saxo - Gothanis aliquique , ubi dicta ordinatio recepta , observatur ; cum ex diverso idem apud Romanos luxu invalecente , & decocta morum integritate abrogatus , inque locum ejus carcer publicus substitutus sit , ita nimirum , ut debitor condemnatus & paululum in solvendo tardus , carceri tamdiu manciparetur , nec unde prius dimitteretur , quam creditori de debito plenissime ad ultimum teruncium usque satis factum esset , quem exequendi modum à Romanis diu velut ordinarium servatum esse consentit . Schilt . *Exercit. ad ff. 46. § 2. & 6.* Quod eo intelligendum est , ut scilicet , omissa in bona debitoris praesentis executione , ejus incarcerationi locus fuerit , quemadmodum hodieque contra debitores cambiales in

in locis ubi jus cambiale viget, procedi solet, optima
fane ratione ; quo scilicet & creditor & judex execu-
tionis & subhastationis molestiis exoneretur, hæque
in debitorem ipsum potius deriventur, cui ut æris
alieni satisfactio incumbit, ita eundem venditionis
bonorum suorum onus suscipere æquum est; a quo
tamen exequendi modo jus recentius paululum de-
flectit, utpote quo incarceratio debitoris non obtinet,
nisi bona deficiant, in quæ judiciali autoritate exe-
cutio fieri queat. Quod & in Reformatione nostra
Part. I. tit. 45. §. 15 approbatum est, ubi hæc verba ha-
bentur : *zum vierdten und letzten wenn der Schuldner
gar nichts in seinem Vermögen hätte, davon der obliegende
Theil sich erhöhen möchte; so mag er den Schuldner auf
seines Gegentheils Begehren am Leib angegriffen, ins Ge-
fängniß gesetzt, und darinnen auf des Begehrenden Ko-
sten (der doch ihm täglich über zween Albus zu erlegen
nicht verpflichtig seyn soll) so lang erhalten werden, bis er
den Kläger zufrieden stellt, oder sonst sich mit ihm ver-
trägt.* Sed & præterea is favor creditori etiamnum
indulgetur, ut debitor a judice per executionem ad
saccum & peram usque exuti debeat, nisi beneficio
competentiæ suffultus sit.

§. IX.

Et quanquam debitoris favor in eo versari videa-
tur ut executio non uno sed duobus diversis & sepa-
ratis actibus expediri debeat, quorum primus pigno-
rum capio, secundus autem distractio & subhastatio

B

au-

audit ; ne scilicet debitor pecuniam exsolutioni æris alieni necessariam, conquirendi, hacque executionem jam instantem, subinde ignominiosam non minus quam sumtuosam, avertendi spatio penitus privetur; idem tamen in creditoris non minus favorem introductum videtur, quo hic executionis molestiis exoneretur, eoque facilius pecuniam, quæ ei debetur, consequatur, cum e contrario, ubi ad executionem statim deveniretur, creditori metuendum esset, ne emitore sub hasta non reperto, ipse bona debitoris in solutum accipere cogatur, quod creditori saepius molestum non minus quam damnosum esse potest, præsertim si ipse ære alieno prematur, nec aliunde pecuniam habeat, qua creditoribus suis satisfaciat.

§. X.

Et primum quidem executionis actum speciatim quod attinet, in actionibus quidem realibus reus jure Romano post rem judicatam, rem actori absque mora restituere cogitur, secundum §. 2. *Inst. de officio iudicis*, in actionibus personalibus autem ex contractu vel quasi delicto vel quasi aliisve causarum figuris descendentibus quadrimestre spatium eidem indulgetur L. 2. *C. de usur. rei judic.* quod jure Romano quidem quo processus civilis intra triennii spatium finiendus erat, L. 13. §. 1. *C. de judiciis*, creditori adeo molestum esse non poterat, aliter atque hodie in Germania, ubi processus partim ob juris incertitudinem, partim ob dilationum judicialium abusum aliasque ob causas im-

immortales fere sunt. Unde apud nos prædictum spatum quadrimestre ad breviorem terminum in creditoris favorem reduci ratio omnino postulat. Quod Reformationis Francofurtanæ autores perpendentes debtoribus post publicatam sententiam in actionibus personalibus ad solvendum sex septimanas tantum concesserunt Part. 1. tit. 45. §. 4. ubi statuitur : ob wohl den gemeinen Rechten nach die Vollstreckung der Urtheil in solchen Sachen erst nach Verlauffung vier Monat geschehen soll, jedoch dieweil solche lange Zeit der obsiegenden Parthey, so etwann zuvor etliche Jahr durch mutwillige Rechtfertigung aufgehalten worden, fast beschwerlich; so wollen wir daß die Scheffen in obberührten Sachen zu der Execution dem verlustigen Theil mehr als sechs Wocben nach eröffneter Urtheil, nicht geben noch zulassen sollen. Quale quid etiam jure Saxonico statutum est, quippe quo debitori post rem judicatam in ejusmodi causis non integrum quadrimestre tempus, sed terminus duntaxat Saxonius conceditur, quanquam alias Jus Saxonum reo magis favet, quam jus Civile, dum ei post rem judicatam ad rei institutionem duas septimanas indulget. Vid. Carpz. part. I. Const. 32. defin. 3. & 4.

§. XI.

Ceterum de forma & effectu capionis pignorum judicialis, qua primus executionis actus absolvitur, multa dicere à meo instituto alienum est. Ne tamen hæc prorsus omittantur, quoad formam illud tantum

B 2

noto,

din

noto, eam pro diversitate locorum variam esse, quemadmodum & aliarum rerum actuumque solennia non ubique eadem sunt. Quid in patria obtineat, in Reformatione nostra clare definitum est, part. I. tit. 45. §. 13. verbis zum andern so gar keine fahrende Haab vorhanden wäre, so soll die Execution in des Schuldners liegenden Güthern, so er die hatt, geschehen, nemlich so er ein Hauss hat, soll der Executor auf dasselbige Achtung thun, und ein Span aus dem Hauss-Pfosten, oder so er einen Wein-Garten hat, einen Span aus einem Pfahl schneiden, oder so er einen Acker und Wiesen hat, ein Erdschöllen oder Wäserlein abnehmen und darüber für Gericht öffentlich Relation thun. Ex quibus simul effectus capionis pignorum elucescit, qui tum in pignoris tum in possessionis jure consistit, quod utrumque à creditore intervenientibus iis symbolis, quæ jam ex reformatione nostra recensui, apprehenditur. Adde Schilt. Exercit. ad ff. 46. §. 85. ubi tamen quod de immisione tanquam actu inter pignorum capionem, & subhastationem medio, in praxi hujus quidem ita obtinet, in ordinat. process. Saxonica electoralii autem nusquam fundatur, sed tit 39. ubi de executione agitur, contrarium potius continetur, dum ibi à pignorum capione, nulla prorsus alicujus inter medii actus mentione injecta ad subhastationem progressus fit.

§. XII.

Nec omitto quod in L. 15. ff. *de re judic.* de ordine executionis sancitum est, ut nimirum hæc primo

mo in bona mobilia fiat, his vero deficientibus ad bona immobilia, atque his etiam deficientibus vel non sufficientibus, tandem ad nomina debitoris manus porrigatur, quod itidem in Reformat. Francof. *cit.* part. I. tit. 45. §. 8. *seqq.* repetitum habetur.

§. XIII.

Cum vero creditor per pignorum capionem nil nisi pignus judiciale cum possessione acquirat, atque adeo post peractum hunc primum executionis actum debitori amplius duorum mensium spatium ad solvendum jure communi conceduntur, *L. 31. ff. de re judic.* & *L. 1. C. si in causa judicat.* quibus elapsis nec dum debito soluto, creditore petente judex ad distractio- nem pignorum progradientur, quæ evitandæ fraudis causa & ne debitor ullam conquerendi causam habeat, publice & sub hasta fieri debet, ita nimirum ut res pignori capta tandem ei addicatur, qui tempore sub- hastationis adhuc currente plus licitatus est. Quod si vero emtor sub hasta non reperiatur, ipse creditor admittitur, *L. 2. C. si in caus. judic.* quanquam ei sub- hastatione adhuc durante, juxta cum aliis extraneis licitandi & majus pretium offerendi nequaquam interdictum sit, vid. *Carpz. in process. tit. 25. art. 4. num. 119 seqq.*

§. XIV.

Dixi §. *præced.* 13. majus pretium inter plures licitatores offerenti rem sub hasta venditam addici. Quod uti apud omnes in confessu est, ita ex hinc
B 3

necessario sequitur, cuilibet subhastationi tacitam in diem addictionem inesse, atque adeo quemlibet licitatem dummodo idoneus sit, perfecta statim licitatione obligari, ita tamen, ut creditor vel judici subhastanti intra statuta subhastationis tempora pinguorem emtorem quærere liberum sit, prout docet cum Schilt. *Exercit.* ad ff. 30. §. 49. Illustr. Dn. Berger *in resolut. LL. obstant. ad Lauterb. tit. de addictione in diem Animadvers. I.* & *in Oeconom. Jur. L. 4. tit. 29. §. 3. not. 10.* ubi semel iterumque secundum hanc sententiam in Collegiis in primis Wittebergensibus responsum esse testatur.

§. XV.

Unde facilis est responsio ad quæstionem, *An si posterior emtor sub hasta plus licitans ex postfacto inidoneus reperiatur, prior nihilominus emtioni semel contractæ stare teneatur?* affirmans videlicet, quam sententiam solidissimis argumentis tuentur ante laudati Schilte-
rus & Dn. Berger *cit. loc.* Nec in contrarium me mo-
vet, quod objicit Illustr. Dn. Stryck. in *Usu moderno ff.*
ad d. t. §. 4. nec minus Dominus Titius *in Observa-*
tion. ad Lauterbach. eod. tit. emtionem venditionem
inter priorem licitatem & subhastantem judicem
vel creditorem ante finitum subhastationis tempus
haud perfici, & proinde istum, reperto pinguiori em-
tore liberari. Hoc enim si verum esset, prior licita-
tor nec obligatus erit, etsi subhastationis tempus ela-
psum sit, nec aliis majus pretium obtulerit, quod ta-
men recte negant Schilter & Illustr. Dom. Berger *cit.*
loc.

loc. unde eum ante jam obligatum esse omnino sequitur. Et quidni hoc asseramus, cum emtio venditio solo consensu de merce & pretio perficiatur, in subhastatione autem cum merces tum pretium, quod licitor pro ista offert, & a subhastante sub conditio-
ne tacita: nisi melior emtor intra definita subhasta-
tionis tempora haberi posse, acceptatur, interve-
niat? ut ne omittam, venditori cuilibet, adjecta pa-
cto venditionis addictione in diem expressa, liberum
esse, utrum novum emtorem quamlibet pinguiorem
accipere, an vero repudiare velit *L. 9. ff. de Addit. in*
diem. Quare idem etiam in addictione in diem ta-
cita, quæ fiscalibus venditionibus adhæret, juris erit,
cum tacitum ac expressum pares vires habere apud
omnes in confesso sit. Et licet emtorem priorem
per posteriorem oblationem pinguiorem ab obligatio-
ne liberari, ea tamen cum effectu intelligenda est, ita
scilicet, si posterior emtor idoneus vel solvendo sit,
quæ qualitas si deficiat, a priore emtore oblatio poste-
rior venditori sub hasta eum ad pretium conventum
numerandum convenienti nullo jure opponi pote-
rit. Quod indifferenter verum esse puto, sive poste-
riori emtori res sub hasta vendita, sub spe recipiendi
statim pretii, jam tradita sit, sive minus, cum poste-
rioris inidonei emtio nulla sit, eoque nec traditio
subsecuta valere queat, quippe qua dominium non
transfertur, nisi titulus validus præcesserit, per §. 40.
Inst. de rerum divisione & acquir. ipsorum dom. *L. 31. ff.*
de acquir. rer. domis. Quemadmodum ergo emtor
prior obligatus manet, ubi melior enitor non existit;

ita

ita pariter ad contractum servandum obstrictus erit, ubi quidem aliis ex postfacto meliorem offert, sed re ipsa non præstat, siquidem hac in re idem valet meliorem conditionem non offerri, vel offerri quidem, sed re ipsa non præstari.

S. XVI.

Quibus ita præmissis ad illam etiam quæstionem: *an venditio sub hasta facta valida habenda sit, ubi emtor paratam pecuniam non solvit, vel quia non vult, vel quia non potest?* facile respondebimus negando videlicet, propterea, quod venditio sub hasta, pro præsente pecunia fieri debeat, quippe quæ ad ictius formam requiritur, in cit. L. 15. ff. §. 7. de re judic. forma præscripta autem non servata actus subsecutus nullus & invalidus habetur, *per vulgata*, quod optima omnino ratione nititur.

Primo enim constat, rei venditæ dominium a venditore in emtorein non aliter per traditionem transferri, nisi pretium solvatur, vel fides de pretio habeatur, secundum §. 41. *Instit. de rerum divisi.* & acquir. *ipsarum dominio;* secundo fides de pretio haberit nequit, nisi ab eo, ad quem negotium hoc spectat, qui in proposito casu creditor est, ideo quippe venditionem pignorum sub hasta urgens, ut inde pecunia præsenſ quæratur, qua ipsi satis fiat, cui proinde neque judex neque procurator ejus sine speciali mando fidem de pretio habens, ullo modo præjudicare potest, quia fidem alicujus sequi est res maximi momenti,

menti, eoque emtori, creditore invito, a nemine concedi debet. Gothofredus in not. ad cit. §. 7. L. 15. ff. de re *judicata* Nec cuiquam facile ignotum esse puto, ad ejusmodi res nomine alterius gerendas per totum jus nostrum speciale mandatum requiri adde *Philippi de subbastat.* C. 3. comm. 2. §. 1. scqq. & alii quamplurimi ibidem allegati.

§. XVII.

Postquam ergo in §. præced. 16. demonstravi, emtionem sub hasta sine præsente pecunia factam, eoque subsecutam traditionem etiam invalidam esse, nisi fides de pretio ab ipso creditore, cuius res hic agitur, habeatur; inde quilibet facile judicare poterit, quodnam remedium detur venditori, ubi res pignori capta nibilominus sine præsente pecunia, creditore speciatim non consentiente, vendita sit? tu respondes forte, creditori adversus emtorem utiliter ex vendito ad pretii exsolutionem agendum esse; quod ego in auditum & toti jurisprudentiæ nostræ adversum dico, cum ex contra&tum invalido & nullo nunquam ad ejus impletionem agi possit, sed instas; creditori liberum esse, contractum ejusmodi ratum habere, & hoc facto ex eo omnino agi posse; at ego respondeo, non hic quæri, quid creditor possit, sed ad quid teneatur. Non autem teneri creditorem invitam emtionem venditionem sub hasta publica sine præsente pecunia factam ratam habere certum est, cum quilibet sit liber moderator & arbiter rerum suarum, nec quis invitus teneatur illud agnoscere, quod in fraudem & damnum su-

C um

um ab alio contra juris formam gestum est. Nec est, quod objicias, creditorem tamen obstringi ad actio- nem nullitatis adversus emtorem inidoneum vel idoneum quidem, sed cui a judice vel procuratore contra ejus voluntatem fides de prætio habita est; aper-te siquidem tibi adversatur Ulpianus JCtus in cit. Le-ge 15. §. 7. ff. *de re judicata*, ubi hic expresse ait, creditorem tali in casu nulla injuria affici, ideo, quod res pignori captas præsente pecunia distrahi oportet, non sic ut post tempus pecunia solvatur. Quodnam ergo remedium creditor i suppedit ad satisfactionem suam consequendam? hoc suppeditat idem Ulpianus *cit. loc.* cum pergit, debere iudicem ipsam rem emtori inido-neo addictam denuo capere & distrahere, quia non pignoris vinculo liberatam. Unde luce meridiana clarius elucescit, addictionem in diem emtori inido-neo factam nullam esse, quod verba: *quasi non pigno-ris jure liberatam*: satis indicant. Si enim creditor in ejusmodi casu jus pignoris retinet, quod ipsi ante eam addictionem competuit, omnino sequitur emtionem licitoris, qui solvendo non est, irritam esse, eo-que subhaftationem absque novo processu repeti de-bere, seposita prorsus nova causæ cognitione & sententia, frustranea quippe & minime necessaria. Jam enim judici substanti per se satis notum est, quo pretio & cui rem sub hasta venditam addixerit; nec ei præterea ex *cit. l. s. incognitum* esse debet, quod si emtor præsentem pecuniam non solvat, distractio pro nulla haberi debeat. Cui ergo fini novam causæ cogni-

cognitionem inter creditorem & emtorem inidoneum instituat? ex jure sane nostro lippis etiam & tonsoribus notum est, notoria non indigere probatione, eoque nec causæ cognitione vel processu opus est vide Struv. Exercit. ad ff. 28. ib. 9. Quin si judex subhaſtans emtori fidem de pretio absque creditoris expreſſo & ſpeciali mandato habuerit, eum quaſi in diſtrahendis pignoribus male verſatum, actione de dolo conveniri poſſe cum aliis statuit Philippi de ſubhaſtationibus d. l. n. 8.

§. XVIII.

Quernadmodum vero ut ſupra dixi, omni venditioni ſub haſta tacita in diem addictio ineſt, ita etiam legi commiſſoriæ tacitæ locus dari debet, in caſu ubi cum creditoris conſenſu emtori fides de pretio habetur, quo fit, ut elapſo die nec pretio ſoluto, emtio retro nulla ceneſatur, adeo quidem ut ſubhaſtatio absque ullis ambagibus denuo repeti debeat, prout luculenter docet ILLUSTR. Dn. Berger. in Resolution. leg. obſtant. ad Lauterb. tit. de Lege commiſſ. animadv. I. Notanter dixi: in caſu ubi dum creditoris conſenſu emtori fides de pretio habetur, quia judici fidem de pretio habere, invito creditore nequaquam permittitur, quamquam non nesciam, hoc ei jure Saxonico licere, ubi nimirum id in creditoris commodum vergit, quod adeo iis in locis, ubi jus Saxonicum non viget, in conſequentiā neutiquam trahi debet. Carpz. in proceſſ. civ. tit. 25. art. 4. n. 60. ſeqq.

§. XVIII.

Et quanquam plura de subhastationis materia dicenda restant, quam quæ a me in præsentiarum in medio allata sunt, ea tamen à scopo meo ab ludunt, cum propositum mihi fuerit, de Nullitate venditionis sub hasta absque præsente pecunia factæ, potissimum quædam differere, & quæ ab aliis hac de re adhuc disputata sunt sub incudem revocare. Cetera, quæ ad integrum executionis materiam scitu necessaria sunt, nosse qui cupit, apud Autores a me supra citatos facile inveniet. Quapropter ego præsenti disputationi hic colophonem impono & DEO Ter Optimo Maximo pro concessa hac in re clementia aliisque innumeris beneficiis gratias persolvō.

F I N I S.

